



502.

DE
SENECTVTE IVSTORVM ³⁸
VEGETA

PSALM. XCII. v. 14. 15.
BREVITER DISSERIT

SIMVLQVE
VIRO EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQVE
IO. POLYCARPO
KIESLINGIO

ARTIS SALVTARIS DOCTORI PERCELEBRI
NEC NON
CIVITATIS TORGAVIENSIS CONSVLI
GRAVISSIMO
DIEM NATALEM LXV.

III. CALEND. MAII MDCCLXI.
EA QVA FILIVM DECET PIETATE
CONGRATVLATVR
M. IO. CHRISTIANVS KIESLINGIVS
TORGAVIENSIS
ECCLESIAE PATRIAE DIACONVS.

TORGAVIAE, LITERIS RÜDELIANIS.

DE
SENECTUTE IUSTORVM

LEGETA

PSYCHICVM

BREVITER DISERT

SMILOVE

VIRO EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO

DOCTISSIMO

IO. POLYCARPO

KIESLINGIO

MAGISTRO

PHILOSOPHO

CIVITATIS TORONAVENSIS CONSULI

GRATISSIMO

DIEM NATALEM LXV

IN QVODAM MATH. MULLER

AVON. H. H. M. D. C. C. C. C.

CONGRATVLE

M. IO. CHRISTIANVS KIESLINGIVS

TORONAVENSIS

PHILOSOPHVS

TORONAVENSIS LIBRIS PROPRIIS



Publica, tenet exordia, caput deponit, in domum
relegit, qui quantum eadem pronuntiat, tota iam ex-
part, sed quid multa? Senectus igitur, vitæque longæ
extremum est, inmensæ, per hoc tunc peris humanum
viam, cunctis documentum, istius præter in
hæc rationis, in quibus Deus esse potest
tam sollicita gratia, quam profana longam domi-
cum sine contentu, qua inter prædicationes cu
Eulonia illa, cunctis deus istius in quibus
etiam præcipio, dantes cunctis.

Si quid est, quod tota cogitatione cupit omne fere
mortalium genus; id profecto omnibus, rectam
qui sequuntur rationem, in votis esse iudico, vt
vitam ad summam vsque senectutem traducant
placidam, atque prosperam. Ea certe a natura hominibus
instita est vis, atque facultas, vt, ad vitam procreati, mortis
licet expositi telis, de iis tamen sedulo sibi caueant, et omne
potius, quantum fieri potest, in promouenda, et producenda
vita collocent studium operamque. Mortem enim citra ra-
tionem exoptare, absonum, temerario ausu sibi consciscere,
impium est; atque a natura abhorret humana. Illis igitur,
qui senectutis tenentur desiderio, vt quid vitio verti possit,
tantum abest, vt potius, si vel maxime extremam adspirent
aetatem, recte ducatur laudi. Multum interest, iudice quo-
vis, rei publicæ pariter, atque domesticæ, vt habeat viros
aetate iam profectos; istius quidem, quia illa nunquam recte

administrari, atque iuvari potest, nisi prudentia, quae in senibus, diuturna experientia edoctis, maxime est conspicua; huius autem, tum propter rem familiarem bene constituendam, tum propter exemplum in moribus adolescentum formandis. Magna enim est, quae in senibus deprehenditur, grauitas, multumque illi valent auctoritate. Quantum res publica, senibus extinctis, capiat detrimenti, ii demum intelligent, qui, quantum eidem profuerint, re ipsa sunt experti. Sed quid multa? Senectus ipsa, vitaeque longaeuitas eximium est immensae, qua Deus erga genus humanum fertur, bonitatis documentum. Multa prostant in sacris literis testimonia, in quibus Deus iuste pieque uiuentibus, suam testificaturus gratiam, vitam promittit longam omnium salute coniunctam, quas inter promissiones eminet augustissima illa, omnibus bonae indolis liberis in quarto decalogi praecepto, diuinitus concessa. Habet quidem, quod facile largior, senectus praesertim in extremo aetatis tempore suam molestiam, suaque, quae secum fert, incommoda, ita tamen, ut plurimum comparata esse intelligo, ut ab animo generoso facile superari queant. Haud leuem equidem senectuti adpersit maculam HORATIUS 1) quando suam de illa, hunc in modum pronunciat, sententiam:

*Multa senem circumueniunt incommoda: vel quod
Quaerit, et inuentis miser abstinet, ac timet uti:
Vel, quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, audis que futuri:
Difficilis, querulus, laudator temporis acli
Se puero, censor, castigatque minorum
Multa serunt anni uenientes comoda secum
Multa recedentes adimunt.*

Sed

Sed facile, quicquid huic sententiae inest criminis, condonamus homini gentili, a gente verae religioni adscripta longe remoto. Lubrica ut plurimum sunt, quibus gentiles inniuntur, fundamenta; rationem corruptam sequuntur ducem, atque facem in demonstranda animae excellentia, ac immortalitate, et quae de factis post mortem fingunt, somnia sunt dulcia, quae a veritate aberrant, et ne veri quidem speciem saepius prae se ferunt. Senio demum, cum in aetate decrepita conficerentur, morrique se esse proximos animadverterent, metu ingenti perculsi, misere saepius exspirabant animam. Longe aliter se res habet cum senectute, qua gaudent, qui nomen a Christo purioris coelestis veritatis Restauratore, ac Vindice acceperunt. Sua praestantia ex literis diuinius repetita, omnibus est amabilis, omnibusque in votis. Id omnino piis verae religionis confessoribus relictum est felicitatis genus, ut summum Numen circa vitae eorum ingressum, progressum, ac tandem egressum curam gerat providam. Ad summam proinde, licet processerint aetatem, senectutem habent tum animi, tum corporis viribus integram, auxilioque diuinitus concessio suffulti, vitam ad extremum vsque halitum agunt placidam, atque floridam. Luculentum huc pertinet testimonium, quod extat in vaticiniis Esaiæ cap. XLVI, 4. ubi inquit Dominus ad populum suum: *Eriam ad senectutem ego idem, etiam ad canitiam portaturus sum vos, ego idem et feci, et portabo, idem et feram, et eripiam.* Quae, cum ita sint, nihil habeo, quod iucufem, quam agunt pii, senectutem, insigni potius documento est experientia, veritati esse consentanea quae de ea cecinit, poeta: 2)

Nec tarda senectus

Debilitat vires animi, mutatque vigorem.

A 3

Cogi-

2) Virgil. Aen. IX. v. 610.

Cogitanti itaque mihi de hocce, quod et iucunditate, et dignitate se commendat, argumento, facile in literis sanctioribus occurrit locus Dauidicus, isque adprime aptus ad stabiliendam corroborandamque, quam de senectute iustorum vegeta, foueo sententiam. Illo ipso nunc duce, quid de senibus iisque piis sentiam, paucis exponere animo quidem habeo constitutum. Reperitur autem locus laudatus in ordine Psalmorum XCII. comm. 14. 15. Verba in fontibus sic fluunt:

שתולים בבית יהוה בחצרות אלהינו יפריחו:
עד ינובון בשיבה דשנים ורעננים יהיו:

*Plantati in domo Iehouae in atrijs Dei nostri germinabunt.
Adhuc prouentum habebunt in senio, pingues, et virides erunt.*

Psalmum citatum, si quis curatius paulo inspexerit, facile obuiat, quem sibi Hieropsaltes propositum habuit, scopus. Omne videlicet, quod tractat argumentum in eo potissimum versatur, vt credentes ad verum cultum Deo exhibendum, laudesque eius celebrandas serio adhorretur, subiunctis vndique rationibus a multiplici sapientia, et bonitate, quam in admiranda gubernatione, et conseruatione ecclesiae suae ostendit, desumptis, in qua diuina elucet tum iustitia, tum misericordia; illa quidem in prosternenda hostium vi, et astutia in ecclesiam irruentium, turba; haec autem in augenda, et promouenda piorum salute. Vltimum hoc caput nostram tangit tractationem. Primum in genere depraedicat piorum felicitatem florentem, deinde propius accedit pios senio etiamnum confectos, quos omni bonorum genere salutat cumulos, eorumque senectutem sistit vegetam.

Manum

Manum operi nunc admoturi, ante omnia dispiciamus de subiecto, quod repeti debet ex versu anteced. 13. in quod dicitur: *Iustus sicut palma florebit, sicut cedrus in libano crescet.* Quis sit *iustus* ille? ex scholis Theologorum abunde notum est. Iustitia scilicet, alia est fidei, iustitia Christi sospitatoris morte expiatoria adquisita, et per fidem imputata. Hab. II, 4. alia vitae, vel operum inchoata, quae tribuitur homini, omnibus christianis virtutibus instructo, quae bona sunt exacte sectanti, quae mala, omni studio fugienti. Prouerb. IX, 9. XX, 7. vtroque in sensu dicitur de Noacho, quod fuerit vir iustus, et integer in generationibus suis.

Eiusmodi iusti describuntur a Davide tanquam plantati in domo Iehouae. שְׁתוּלִים בבית יהוה quo in sermone observamus enallagen numeri, construitur enim nomen singulari צֶדִיק cum plurali שְׁתוּלִים quae enallage vim sustinet emphaticam. confer. Magnif. ac Celeberrimus HOFMANNVS 3). Patronus, et Praeceptor summe mihi colendus. Loquitur igitur vates dininior de iusto collectiue sumto, et intelligit totam simul fidelium congregationem, quasi diceret: quilibet iustorum plantatus est in domo Iehouae, et in atriis Dei nostri florebit, nec vllus eorum excludi debet. Hi iusti plantati sunt, vel potius transplantati; radix enim שְׁתוּל proprie significat, transplantauit e loco in locum, transposuit, sic dicit Dominus Iehoua Ezech. XVII, 22. Sumam de procerae cedri coma, decerptumque ex eius sirculorum cacumine flagellum, deponam, plantaboque in edito, atque eminenti monte. Elegantiissima proinde est, quam Dauides adhibet, metaphora desumpta a transplantatione, et infitione arborum. Ea enim est, vel prudentis patris familias, vel hortulani praecipua cura, vt transplantatione, et infitione

3) Institur. Theolog. Exeget. L. III. c. III. §. VII.

arbores ad καρποφοριαν reddat idoneas. Egregie hanc ad rem TARNOVIVS 4) quando ait: *est homo pius, velut arbor, non sylvestris, non sponte sua nata, sed manu hortulani confita, quae ad huc viget, et vivet, et, ut melius vireret, quam prius transplantata.* Hoc modo transplantati sunt iusti cura hortulani coelestis in vocatione, ac regeneratione maxime conspicua. Transplantari e loco sicciori in locum fertiliorem, e regno satanae in regnum Christi, e tenebris in lucem, e statu irae in statum gratiae, imo iusti iusti sunt Christo. Rom. V, 5.

Illa ipsa iustorum, quam haecenus descripsimus, transplantatio facta est בבית יהוה in domo Iehouae. Quod per domum Dei hoc loco intelligatur vera ecclesia, cuius membra credentes sunt, facile omnes in eo consentiunt sanctorum literarum interpretes. Paulus Timotheo suam, quae se absente in ecclesia versari debeat, mentem declaraturus, inquit: *ὡς εἶδος πικρῆς δένδρου ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεται*, et statim quid per hanc Dei domum intelligi velit, superaddit: *ὅτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζωντος*. 1. Timoth. III, 15. addantur Ps. XXIII. 6. XXVII, 4. LXV, 5. Non nego subinde in scriptura sacra per domum Dei innui vel tabernaculum, vel templum a Salomone exstructum; loco tamen citato crassum illum materialem significatum non habere locum, monet GEIERS 5). Vera itaque ecclesia nobis representat hortum illum amoenissimum spiritualement, in quo arborum, ad aquae salutaris riuum plantatarum, altisque agentium radices proventus vberimus, quem his exprimit verbis Dauides: *אלהינו יפריחו* in atris Dei nostri germinabunt. Aludat sanctus Vates hac loquendi formula ad templi hierosolymici

4) in Comment. in Ps. ad Ps. I. p. 18.

5) in Comment. in Ps. ad h. l.

folymitani structuram, quod constat, ex consensu omnium, qui sacris gentis iudaicae ritibus explanandis operam dederunt, et quorum nomina, quum sunt in vulgus nota, ta-
 ceo, in tres partes fuisse diuisum, scilicet in atrium exte-
 rius, atrium interius, et aedem ipsam sacram. Atrium il-
 lud interius erat locus populo concessus, in quo sacris va-
 candi gratia conueniebat. Pf. LXXV, 5. C, 4. XCVI, 8.
 Duæ ergo sunt promissiones hoc in effato iustis datae; alte-
 ra plantatio perennis in domo Iehouae; altera status adin-
 star arborum frugiferarum in omnibus pietatis exercitiis ma-
 xime fertilis. Aliam quidem amplectuntur sententiam Com-
 mentatores Bibliorum Anglicani, asserentes, per domum
 Dei, et atria ynam, eandemque rem intendisse spiritum
 Sanctum, scilicet templum. Sed nulla, cum adsit necessi-
 tas, que nos vrgeat recedere a natiuo vocum significatu,
 lubentius in isto vestigiis Theologorum nostratium, GEIERI
 6) DAVERSTADII 7) FRISHII aliorumque. Aliud enim est
 felicitatis genus, insitum esse verae ecclesiae; aliud frequen-
 tare habitationes Dei, vbi conuenitur ad cultum Deo publi-
 ce debiteque exhibendum, quam explicationem notauit,
 simulque sub examen vocauit Vener. DITELMAIERS 8)
 in annotationibus huic operi subiunctis. Haec atria nobis
 ob oculos ponunt locum illum felicissimum, in quo iusti
 tanquam arbores succulentae germinant, **יְבִרִחוּ**, inquit Da-
 uides. Vox **פָּרוּ** proprie significat germinare vel flores e-
 mittere, ita vsurpatam eam legimus de baculo Aaronis
 Num. XVII, 23. de vite Hof. XIV, 8. improprie autem,

B

- et
 6) in Commentar. in Pf. ad h. l.
 7) in Laboribus Psalterialibus theoretico-practicis, ad h. l.
 8) in der Harpffe Dauids, ad h. l.
 9) In der Bibel mit den Auslegungen der Englaender Tom. VI.
 ad h. l.

et metaphorice prosperum hominis statum, et conditionem, hoc sensu occurrit Ef. LXVI, 14. *Vos animis laetabimini, vestraque membra stirpium ritu virescent.* Cuncta mente curatius, si reputantur, nullum dubito fore, qui eiusmodi iustorum sortem non deprædicet excellentem, sui que similem nesciam. Iustitiae et pietatis non fucatae edunt flores, et, ut paucis omnia complectar: Sunt homines integri, et in omnibus vitae partibus honestissimi.

Quantum itaque est, quod intercedit iustum, atque impium, Deum colentem, et non colentem discrimen? Impius nec cedro similis, nec palmae, sed herbae, vel graminis tam diu florenti, donec falce admissa, refecatur; vel manu admota funditus extirpatur. Equidem non negat Hieropsaltes, sed asserit versu antec. 8. quod impii germinent sicut herba, et floreat omnes operantes iniquitatem, sed statim superaddit: *fit hoc ad perdendum eos in aeternum usque.* Male igitur causae suae consulunt, qui fatali necessitati nescio cuidam, patrociantes, omnem diuinam gubernationem, secundum quam cuncta in his terris ordine iusto peraguntur sapienterque administrantur, labefactare impetu quodam coeco adnituntur. Prouocant haud raro, cum nullum causae deploratae inueniant praesidium, ad conditionem, quam impiorum cum piis vnam eandemque audacter pronunciant. Floret, inquiunt, pius, floret et impius; vterque, quo fata trahunt, sequitur. Sed euenit peruersae huic indolis turbae, quod iis euenite solet, qui in certamine incauti, nimiumque viribus suis confisi, pugnant, ut praeter opinionem vnico ictu prostrati, miseri jaceant humi. Florent impii ad tempus, quod immensae longanimitatis diuinæ est testimonium, sed nunquam perenni fruuntur felicitate. Tolluntur, ut poeta canit, in altum, ut lapsu

lapſu grauiori ruant, quod eleganter Aſaphus exprimit Pf. LXXIII, 18. 19. *Impios Tu in lubrico collocatos deiicis in exitium, adeo, ut quam repentina delecti calamitate, horribili modo conficiantur. Ut ſomnium euaneſcit expergefactis; ſic Tu eorum imaginem, lehoua! in ciuitate aboles.* Dauidem conſentientem habet Aſaphus, ille enim Pf. XXXVII, 36. teſte experientia refert: *Vidi ferocem impium, et frondentis more lauri virentem: qui deinde praeteritus iam non extabat, quaerentique mihi non inueniebatur.*

Nunc ad id, quod caput rei eſt in hac tractatione, mea ſe confert, meditatio. Haecenus Vates ſanctior in vniuerſum eximiam iuſtorum, qui in domo Dei plantati ſunt, delineauerat felicitatem, nouum nunc adgreditur opus, totuſque in eo eſt occupatus, vt hominum iuſtorum ſenectutem etiamnum ſummam nobis ſiſtat vegetam, atque florentem, quam ſuam de hac materia per *παράδοξον* pronunciat, ſententiam:

עוד ינבוכן בשינה דשנים ורעננים ידו
Ahuc prouentum habebunt in ſenio, pingues, et virides erunt.

Obſeruamus in hac oratione primum particulam *עוד* cui reſpondet Graecorum *ἐτι*, quam a Dauide haud otioſe poſitam eſſe, iudicamus. Conſtat capud Hebraeos eam uſurpari ad denotandum actum continuum; tempus proinde

B 2

ſigni-

10) Amant ſubinde ſcriptores ſacri haud ſine emphafi elocutionem per *παράδοξον*. Varia horum ſacrorum paradoxorum ſpecimina nuper admodum edidit Plurim. reuer. LINGRIVS Archidiaconus noſter meritiſſimus, et collega mihi honoratiſſimus in Paradoxo Saero opum poſſeſſionem ſpectante. Pf. XXXVII, 16. in Paradoxa pacis eccleſiaſticae deſcriptione, Ef. XI, 6. 7. in Paradoxo connubiali, I. Cor. VII, 29.

significat, tum praeteritum, tum futurum, quod praeter alios obseruat GLASSIUS 11), cumque archissimo vinculo antecedentibus iuncta respiciat $\tau\acute{\sigma}$ plantari, et florere, mens Dauidis est in proparulo, quasi diceret: Iusti plantati in domo Iehouae florebut, non quidem ad tempus tantummodo, sed amplius, et perpetuo, senio licet confecti, florentes fructus proferent egregios; haec est potestas, qua pollet vocula ער. Quantum itaque est, quod omnem superat admirationem benignitatis, qua Deus erga suos fertur, documentum! Experientia, quae fallere nescit, omnino comperimur, quod laeta arborum initia, altas, etsi egerint in agro fertili, radices, consenescere, si inceperint, marcor excipiat, atque sterilitas; longe aliter res se habet cum iustis, qui tanquam arbores in domo Dei sunt plantati, quibus nec marcor, nec sterilitas, quinimo in senectute etiamnum decrepita, florentes adhuc sunt. Vox enim שיבה, qua vitur auctor sanctior non quamlibet hominis aetatem, sed eam denotat, quae senectutem sequitur, et canitie est venerabilis. His iustis, canos gestantibus capillos contingit esse tam felicibus, ut, quod citra omnem euenit expectationem, in senio adhuc habeant proventum.

Nollem equidem ego sententiae eorum subscribere, qui in ea versantur opinione, ac si Dauides hoc loco ad foecunditatem, viresque ad procreandam sobolem sufficientes respexerit, qualis facultas in Abrahamo, et Zacharia senibus, est conspicua. Sic interpretatur locum Chaldaeus, GVSSERTIUS 12) paucique alii. Radix enim נרב generatim significat provenire, progeminare, fructum proferre; speciatim autem, et proprie dicitur de omnibus, quae ex terra, vel arboribus

11) in Philologia. S. Lib. III. Tr. V. can. X. et XIV.

12) Commentarii Ling. hebr. sub voco נרב.

boribus proueniunt, quod indicat nomen deriuatum תנובה, quod occurrit Ef. XXVII, 6. conf. STOCKIUS 13). Si quis ex me quaesuerit, quales sint, qui loco citato de canitie celebrantur, fructus? eum remitto ad euidentissima Pauli apostoli testimonia, in quibus hos spirituales esse, demonstratur, fructus uidelicet sunt Spiritus, atque Iustitiae; illorum mentio iniicitur, Gal. V, 22. Eph. V, 9. horum autem Phil. I, II. Ebr. XII, II. Ex his sponte sua patescit, quam larga fructuum in senibus sit messis, nec causa subest, quae dubium formidinis oppositi moueat, cum virium spiritualium non detur defectus, sed, quae summi Numinis est benignitas, vberior indies earundem concessio, quare Paulus hanc ad rem egregie, quando 2. Cor. IV, 16. ait: *Hanc ob causam non defeciscimus, quin, etiamsi exterior noster homo corrumpatur; at interior quidem renouatur indies.* Abeant igitur, qui temerario, ac nefando ausu senibus irrident, et quam saepius tacite exoptant, ludibrio exponunt, senectutem. Semper se commendat fructuum abundantia, qui optime ad alios retundant, stat sua grauitate! stat sua auctoritate senectus! Nullam proinde inter moratiores, mentisque sanioris gentes ethnicas extitit tempus, quo non semper talis senibus exhibitus fuerit honos, atque reuerentia, qualis iure meritoque ipsi debetur, testis est *Iuuenalis* 14):

Consuebant hoc grande nefas, et morte piandum,

Si iuuenis vetulo non assurrexerat.

Viris iuuenibus, si in societatem senum veniendi facta erat copia, summa erat, qua hos colebant, obseruantia. *Senectutz,* inquit VALERIUS MAXIMVS 15), *iuuentus ita cumulatam, et circumspectum honorem reddebat, tanquam maiores natu*

B 3

adolet-

13) Clavis Linguae S. sub h. v.

14) Sat. XIII.

15) Lib. II. c. I.

adolescentium communes patres essent. Hanc omnino laudamus reuerentiam. Senectus enim fructuum abundantia, suaque praestantia omnibus est amabilis, non minus igitur illi, qui multum cum senibus versantur, ex hac familiaritate capiebant voluptatis, ac emolumenti. Sic relatum legimus de PLINIO 16) quod maximo in honore ipsi posita fuerit, senectus, quam suam mentem in epistola ad Caluissium data, his exprimit verbis: *Nescio, an ullum iucundius tempus exegerim, quam quo nuper apud Spurrinam fui: adeo quidem, ut neminem magis in senectute, si modo senescere datum est, aemulari velim.* Nihil enim est illo vitae genere distinctius, me autem, ut certus syderum cursus; ita vita hominum disposita delectat, senum praeserim. At enim vero, quanto praestantiores sunt, quos senectus christiana fert, fructus; tanto magis senes reuereri tenemur. Illam ipsam senibus exhibendam reuerentiam Deus peculiari quadam sancit lege, quae occurrit Leuit. XIX, 32. *Cano adsurgito, seni honorem praestato Deumque tuum reueretor, leboua sum.*

Descriptum hactenus senectutis vigorem, qui animum potissimum spectabat, excipit nunc expositio virium corporis diuinitus concessarum. quibus in senio adhuc pollent, iusti דרו ורעננים ורשנים pingues et virides erunt. Vocabulum דרן tribus duntaxat vicibus in codice sacro legitur. Es. XXX, 23. Pf. XXII, 30. et loco allegato circa quem nostra versatur opella. Primo in loco indicatur copia, et ybertas frugum; in secundo significatur opimior hominum fors, et hoc denique loco innuitur singularis, et eximia virium copia. Substantiuum igitur דרן obseruante GVSSETIO 17) adipem denotat carnibus intertextum, aut eis sub cute circumvolutum panniculi instar. Qua ex constanti, et perpetua

16) Lib. III. epist. I.

17) Sub. rad. דרן.

tua vocis significatione facile est collectu, quam vegeta, valida, viribusque integra pronuncianda sit iustorum senectus. Huic iungimus vocem רעננים quae proprie dicitur de arboribus, iisque in eostatu, in quo nequeat deesse viror, spectat praecipue earum sanitatem, vigorem ad incrementum capiendum, vt amoenam speciem, quae ex illis rebus efflorescit. Sic legitur de olea virente Ps. LII, 10. et lauro frondente. Ps. XXXVII, 35. per metaphoram autem designat virium integritatem, status vigorem, et omnis generis prosperitatem. O! felices senes! quam vegeta est, quam vobis iustus Deus concedit, senectus. Fruimini irremissa spiritalium, et corporalium bonorum affluentia, quam Summum Praepotensque Numen vobis decreuit. Id generis occurrit promissio senibus iustis data, quam literarum monumentis consignare iustus est Esaias propheta cap. XL, 31. *Qui in Ieboua spem habent, viribus adolefcunt, crescentibus quasi aquilinis pennis, neque currentes delassantur, neque defatigantur ambulantes.* Nee minoris valoris erat votum, quo Moses morti nunc proximus Aferi benedixit. Deut. XXXIII, 25. *Robur aetati tuae sit consentanea.* Dauides insignem pro stabilienda senectute iustus vegeta, profert locum, quando Ps. CIII, 5. immensam hanc Dei depraedicaturus benignitatem ait: *Qui bonis tuas satiat maxillas, tuam quasi aquilae iuuentam renouans.* Satis nunc vigor, quo in senectute gaudent iusti, ex locis iam excitatis constat.

Si quis a me postulauerit, vt, quam de laudata iustorum senectute, foueo sententiam, exemplis nunc doceam, facile se offerunt ex literis quidem sanctioribus repetenda. Sisto senem venerabilem, atque vegetum, fidelissimum illum oeconomiae diuini procuratorem, Mosem, de quo Deut. XXXIV, 7. memoriae est proditum: *Mortuus est annos na-*

tus centum, et viginti, quum neque oculis caligaret, neque viriditatem amisisset. Hunc, quemadmodum in munere; sic etiam in vigore sequebatur, Calebus, qui, quantum viribus in extrema adhuc aetate valuerit, his coram vniuerso populo profitetur verbis. Ios. XIV, II. *Et nunc scito, me bodie annos natum octoginta quinque, tam fortem esse tamen, quam tum eram, quum me misit Moses: nec alias tum fuisse vires meas, quam nunc sunt, seu pugnandum, seu quod eundem sit.* His plures iungerem iustos, qui gratia diuina adiuti, senectutem viribus adepti sunt integram, si instituti ratio, quod arctioribus cantinerur limitibus, id permetteret. Occurrunt non minora inter homines quondam gentiles exempla senectutis vegetae, quorum in aetate adhuc decrepita eximium fuit animi corporisque robur, quae quidem commoratu digna indicarunt, historiae profanae conditores. Sed dixeris, meque falcem in alienam messem misisse, incusaueris, cum a regenitis, iustisque ad irrogenitos concludendi ratio non habeat locum. Bene quidem, neque mens mea eo, quo forsitan tendis, est directa. Hoc tamen facile quisquis etiam fuerit, mihi largietur, solemne esse iustitiae pariter, atque benignitati diuinae, vt actiones legi diuinae, quae gentiltum cordibus, teste Paulo Rom. II. est inscripta, conformes, remuneret. Documento sunt remunerationes a Deo et irrogenitis, propter opera ethice solummodo bona, factae, atque passim in codice sacro commemoratae, quales experti sunt Laban, Syrus, propterea, quod Iacobum exulem in domum receperat. Gen. XXX, 27. Potiphar Aegyptius, quod Iosephum in vincula coniectum benignius tractaret. Gen. XXXI, superaddo obstetrices Aegyptiacas, Exod. I. et Rehabeanum 2. Chron. XII. At enim vero, qui fieri potest, vt sanctissimo summoque legislatori beneplacitum sit in iis, qui legibus suis imperfectam praestant

stant obedientiam? propositam ad quaestionem respondeo, adhibita distinctione, ex scholis Theologorum repetita; videlicet: bona opera considerantur vel *εὐαγγελικῶς*, vel *νομικῶς*: illo quidem respectu opera ab irrogenitis, multam licet boni prae se ferant speciem, patrata, Deo sunt abominationi; omne enim, quod non ex fide proficiscitur, pro peccato reputandum: hoc vero respectu, quatenus habent cum lege diuina conuenientiam, non omni ex parte displicent. Hinc illae renumerationes. Lectu proinde digna sunt, quae refert LIVIUS 18) de senibus vegetis M. P. Catone et M. F. Camillo; de illo quidem, quod ferrei prope corporis animique fuerit, quem ne senectus quidem, quae soluit omnia, fregerit; quod sextum, et octogesimum annum agens, causam dixerit, ipse pro se orauerit, scripseritque, nonagesimo anno Sergium Gaibam ad populi adduxerit iudicium; de hoc autem scribit: *Exactae iam aetatis Camillus erat, sed vegetum ingenium in vivido pectore vigeat, virebatque integris sensibus, et ciuiles iam res haud magnopere obeuntem, bella excitabant.* CICERO 19), gentis suae quondam decus, reperit ex Xenophonte, quod Cyrus eo sermone, quem moriens habuit, cum admodum senex esset, negauerit, se vquam sensisse, senectutem suam imbecilliolem factam, quam adolescentia fuisset, et de L. Metello, testatur, ita bonis viribus fuisse in extremo tempore aetatis, vt adolescentiam non requisierit. His igitur irrogenitis, tanta cum contigerit felicitas, vt subinde senectutem nacti sint vegetam; quan-

C

to

18) in Histor. Rom. Lib. XXXIX. c. XL. et Lib. VI. c. XXII.

19) de senectute.

to praestantior erit senectus iustorum, quantoque excellen-
tiora bona tum spiritualia, tum corporalia a Summo Nu-
mine ipsis in summa adhuc senectute adseruata, atque re-
condita.

Sed haec haecenus de senectute iustorum vegeta! Offi-
cii nunc memor, quod pietas, atque diei postulat solemnita-
tas, mea iam se ad TE

PARENS OPTIME, *summaque pietate colende,*

confert oratio. Illuxit hodie, quod supplicibus votis a Deo
Optimo Maximo fui precatus, dies ille, qui ante hos sexa-
ginta, et quinque annos TIBI vitam, mihi Parentem fide-
lissimum, et reipublicae doctum, et meritissimum reddidit
virum. Quantam hodiernus dies mihi afferat laetitiam,
quantaque voluptatis, et gaudii afficior sensu, verbis expri-
mere vix valeo, TE tot, tantisque calamitatibus, quas se-
cum fert munus, quo iam fungeris, publicum, idque ar-
duum ereptum: TE civium optimorum, quorum salutem
diu noctuque meditaris, incommodis lacrymisque saepissime
auctum, atque perturbatum: TE, qui mihi, meisque vni-
cum existis praesidium, TE inquam hodie, quod immorta-
le Dei est beneficium, senem conspicio animi corporisque
viribus integrum, atque vegetum. Haud vltimum profe-
cto est felicitatis monumentum, quod tot concatenatis labori-
bus humeris TVIS impositis, TE quidem fregeris, partes
tamen officii exacte explendo, nunquam ferendo oneri vi-
res senseris impares. Satis vel hoc ipsum documento est,

TE

TE iustis illis adnumerandum, esse qui plantati in domo Dei etiamnum in senio vigent, virentque. Et sic TE iure quodam TVO compello, cum transplantationis cura TIBI contigerit praecipua. Patre enim vsus es IOANNE KIBSLINGIO 20) Doctore Theologo, primum Erfordiensium Pastore ad Aedem Mercatorum, deinde Bornensium Superintendente de ecclesia, et re literaria meritissimo, sed hoc praematura eheu! morte rebus humanis crepto, vitricum, vel potius Parentem germanum restitutum ductus es MICHAELEM LINDAM Sacrorum hic, dum erat in viuis, Antistitem, Theologum pietissimum, cuius memoriam facile mecum omnis Torgauia grata piaque recolit, mente. His ducibus, quorum meminisse, summa penes TE semper est reuerentia, ecclesiae insertus, cura Dei hortulani coelestis plantatus in eius atrii flores, et adhuc in senio profers fructus Deo acceptos, et rei publicae salutares. Quae, cum ita sint, haud vno nomine hodie laetor, atque exulto, datamque occasionem dimittere nolui, qua gaudium ex vigore TVO perceptum, testarer. Serena itaque, vt loqui amamus, fronte, accipias, quod offero, qualecunque ingenii viriumque specimen, quod TIBI Parens Optime! vt publicum aliquod meae in TE pietatis extet, documentum, sacrum esse iubeo. Tot enim innumera in me contulisti beneficia animo meo adeo in fixa, vt memoriam eorundem, dum anima spirabo mea, colam perpetuo nunquam commif

20) Meminit aui mei b. defuncti inter alios Summe Vener. Sacrorum nostrorum Antistes D. GRVLICHVS, Fautor omni animi obseruantia mihi colendus. Im historischen Sabbath, p. 1504. seq.

missurus, vlla vt apud me deleri possint obliuione. Deum
 immortalē religiosissimis veneror veneraborque precibus,
 vt hunc diem tibi fauctum semper, et fortunatum in ci-
 uium emolumentum meorumque solatium, redire iubeat,
 quam saepissime. Faxit Deus O. M. vt, profligatis tandem
 belli funestissimi calamitatibus in pace, quam omnes arden-
 tissimis expetimus, votis, ad feros vsque annos
 floreas, atque vigeas.



94 A 7368


ULB Halle
002 928 582

3



10 17





DE
SENECTVTE IVSTORVM ³⁸
VEGETA

PSALM. XCII. v. 14. 15.
BREVITER DISSERIT

SIMVLQVE
VIRO EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQVE
**IO. POLYCARPO
KIESLINGIO**

*ARTIS SALVTARIS DOCTORI PERCELEBRI
NEC NON
CIVITATIS TORGAVIENSIS CONSVLI
GRAVISSIMO
DIEM NATALEM LXV.*

III. CALEND. MAII MDCCLXI.
*EA QVA FILIVM DECET PIETATE
CONGRATVLATVR
M. IO. CHRISTIANVS KIESLINGIVS
TORGAVIENSIS
ECCLESIAE PATRIAE DIACONVS.*

TORGAVIAE, LITERIS RÜDELIANIS.